



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 6. Species Sacramentales possunt-ne corrumpi, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

mini definit esse sub speciebus Sacramentalibus ?

D. Tho. 3. p.
q. 77. art. 4.
in corp.

Resp. Sic respondet Divus Thomas : Cùm Corpus Christi & sanguis succedant in hoc Sacramento substantia Panis & vini ; si fiat talis immutatio ex parte accidentium quæ non suffecisset ad corruptionem Panis & vini ; propter talem immutationem non definit Corpus & sanguis Christi esse sub hoc Sacramento , sive fiat immutatio ex parte qualitatis , putà cùm modicum immutatur color aut sapor Panis vel vini ; sive ex parte quantitatis , sicut cùm dividitur Panis aut vinum in tales partes , quòd adhuc in eis possit salvari natura Panis aut vini . Si verò fiat tanta immutatio , quod fuisset corrupta substantia Panis & vini ; non remanent Corpus & sanguis Christi sub hoc Sacramento : & hoc sive ex parte qualitatum , sicut cùm ita immutatur color & sapor , & alia qualitates Panis & vini , quod nullo modo possit compati naturam Panis aut vini : sive etiam ex parte quantitatis , putà si pulverisetur Panis , vel vinum in tam minutas partes dividatur , ut jam non remaneant species Panis vel vini .

Quest. 6. Species Sacramentales possuntne corrumpi , & inservire generationi alicujus substantiæ ?

Resp. Certum est , atque experienciâ compertum , multa sæpè ex Eucharistia generari ; patet enim ad sensum ex speciebus nimio humore corruptis , vel morâ diuturniore servatis , vermes generari , easque combustas in cinerem redigi , efficique acetum ex vino . Quod quomodò fieri possit , ostendit Divus Thomas his verbis ; Species Sacramentales retinent idem esse quod prius habebant substantiâ Panis & vini existente : & ideo sicut esse horum

D. Tho. 3. p.
q. 77. art. 3.
in corp.

De Sacram. Euchar. Cap. VIII. 169

horum accidentium corrumpi poterat, substantiâ Panis & vini existente: ita etiam potest corrumpi, eâ substantiâ abeunte: Quoniam Corpus Christi Domini huic substantiæ succedens, id omne præstat, quod præstaret talis substantia si permansisset.

Major est difficultas concipiendi quomodo ex speciebus Sacramentalibus, quæ sunt in hoc Sacramento sine substantia, generari possit alia substantia, quod etiam explicat sanctus Thomas loco citato. *Videtur dicendum, inquit, quòd in ipsa consecratione miraculosè datur quantitati dimensivæ Panis & vini, quod sit primum subjectum subsequentiæ formarum: hoc autem est proprium materiæ. Et ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud quod ad materiam pertinet: & ideo quidquid posset generari ex materia Panis vel vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensivæ Panis vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.*

S. Th. art. 5.
in corp. ibidem.

Sensus ergo Divi Thomæ est, quòd quia per consecrationem datum est quantitati supplere vices materiæ primæ, quantum ad omnia, quæ in instans generationis antecedunt, ita ut formas accidentales, & omnes dispositiones ad novam præparantes recipere queat: ideo Deus, introducta ultima dispositione, materiam primam producit in ipso instanti generationis novæ formæ, quæ tamen ex sinu materiæ, vi agentium naturalium dicitur educi, quatenus vi ultimæ dispositionis ab agente naturali inductæ, materia à Deo producta talem, & non aliam recipit formam; nec est necesse, quod materia ad recipiendas novæ formæ dispositiones, tempore præcesserit novam formæ introductionem, modo in sui vices

gerente quantitate antecesserit: cum enim de æquipollentibus idem sit iudicium, satis est, ut quantitas officia materiæ supplens, toto tempore instans generationis antecedente, sub novæ formæ privatione præcesserit.

Porro Deus materiam in ejusmodi generationibus connaturaliter substituit, utpotè qui ad exigentiam causarum naturalium eam subministrat; statim enim atque dispositiones ad novam formam positæ sunt, exigunt causæ naturales eam formam introduci, ad quam dispositiones per se sunt institutæ: forma verò cum introduci non possit nisi in materiam, nec materia vi agentium naturalium produci possit; idcirco ad generalem totius Orbis provisorem attinet, causarum secundarum exigentiam supplere, ac convenientem proinde materiam mox educendæ formæ supponere; sicut animam rationalem ad exigentiam organicæ materiæ creat.

Hinc sequitur species Sacramentales posse nutrire, quoniam quidem cibus non aliter nutrit, quàm per sui conversionem in substantiam ejus qui alitur; proindeque cum species Sacramentales, ut diximus, converti possint in substantiam, quæ generatur ex his speciebus, possunt etiam converti in substantiam Corporis humani.

